

V V I L H E L M V S A D I E S B A C H C O N S V L
Bernensis



Vilhelmus ex nobili familia Diesbachiorū anno Domini circiter millesimum quadrungentesimum quinquagesimum Bernæ Heluetiorum natus est. Is cum à pueris optimè institutus esset, adolescens factus longissimas peregrinationes subiit, atque etiam Cæsarum & regum castra sequutus fuit. Itaque cum sua integratōe omnibus approbaretur, eques auratus constituitur. Cum hoc modo Vuilhelmus magnum rerum usum sibi comparasset, atque in patriam rediisset, Bernensis Consul, quem Schultetum dicunt, constitutus est, eo tempore quum Sueicum bellum, & postea Mediolanense in Italia excitatum erat.

In ea functione is tingularem prudentiam declarauit, & patriæ utilissimus ciuis extitit. Itaq; ea respublica plurimū excreuit, atq; inter reliquas eius regionis urbes, magistratus sui uirtutibus, caput plurimū extulit. Cum hoc modo Vuilhelmus omnibus gratus esset, Anno ætatis septuagesimo, salutis uero millesimo quingentesimo decimonono obiit, atq; Bernæ honeste sepultus fuit. Eius posteri etiamnum Bernæ supersunt, atq; sua pietate & prudencia patriam exornant. Anon.